





Pri. 35. Num. 11.

D. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

1712, 8

23

**ADMINISTRATIO
TIONE BONORUM
ABSENTIS PROXI-
MIS SUCCESSURIS
COMPETENTE,**

P. 250

QUAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
RECTORE ERFORDIENSIS ACADEMIÆ
MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

17

**PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,**

SACRÆ CÆSARÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO IN-
TIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINÆ ET TRE-
VIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-
EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSI-
LIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIÛQUE ERFFURTENSIS
PRO-PRINCIPE,

INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA

RITE CAPESSENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

DIE III. AUGUSTI M DCC XII.

HORIS LOCOQUE CONSUETO

SUBMITTIT

ISRAEL ROSENFELD, CONARIENSIS.

ILLUSTRIS REGIMINIS IN DUCATU MAGDEBURGICO ADVOCATUS.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr,



21.



INSTITUTION JURIDICA

ADMIRALTY
TOWN OF BOSTON
ASSISTANT
MISSISSIPPI
COMPTON

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA

ACADEMIA
ACADEMIA





JOVA JUV A!

§. I.



Eges Civiles maxime in eo, ne quis præter suam culpam in damnum incurrat, esse sollicitas, manifestum est. Hinc illis personis, quæ rebus suis aut ob vitium corporis aut animi, aut ob imbecillitatem ingenii aut ob absentiam aut ob alias causas præesse impediuntur, constitui jubentur curatores *L. 12. p. ff. de tutor. & curat. dat. L. 2. ff. de curat. fur. & ali. præ. min. dand. Brunneinan. ad ff. ad hanc L. 2.* Eamque ob causam PUPILLO ob res in diversis provinciis sitas *Pupilio. diversus tutor L. 21. §. 2. ff. de excus. L. 15. ff. de testam. tut. & si legitimus tutor non est idoneus, Curator § 5. J. de Curator. MINORI in litem & ad certam causam §. 2. J. de Curat. FURIOSO L. 1. C. de curat. fur.*

A 2

Muto & surdo. *fur.* MUTO & SURDO L. 8. §. 2. *ff. de tutor. & Cu-*
 Mente captō. *rat. dat.* MENTE CAPTIS §. 4. *J. de Curat.* BO-
 Bonis debito- *NIS DEBITORIS* L. 2. *ff. de curat. bon. dand.* HERE-
 ris. *DITATI JACENTI* intra spatium deliberandi L. 3.
 Hereditati ja- *ff. de Curat. furios. & al.* VENTRI jure Prætorio L. 1.
 centi. *§. 18. seqv. ff. de vent. in poss. mittend. & MULIERI* jure
 Ventri. *Saxon. & certarum Provinciarum legibus Carpz. P. I.*
 Mulieri. *C. I. 30. Ord. process. Magd. recogn. cap. 13. §. 1.* Curatores
 ordinantur.

§. II.

Absenti. Quoniam verò inter illas personas, quæ Cura-
 tore opus habent, referendus quoque est ABSENS
 L. 3. *C. de poss. revers.* siquidem publice interest, ut
 illius bona conserventur. *Carpz. Libr. VI. tit. VII. Resp.*
63. n. 3. it. Libr. V. tit. XIX. Resp. 83. n. 2. omissis reliquo-
 rum Curatorum juribus in præsentî Dissertatione so-
 lummodo de CURA seu ADMINISTRATIONE bo-
 norum absentis differere constituimus, quæ ut feli-
 citer succedant, Deus succurrat auxilio!

§. III.

Afferitur defi-
 nitio Curæ ab-
 sentis in admi-
 nistrandis ipse-
 us bonis.

Ante omnia verò, ut non solum cuncta ordine
 procedant, sed etiam tota Dissertationis materia in
 oculos primo intuitu quasi incurrat, necessarium
 esse judicavimus, præmittere definitionem Curæ
 absentis, quam sequentem in modum definire pla-
 cet, quod sit administratio bonorum absentis, de cu-
 jus vita dubitatur proximis ejus successoribus legiti-
 mē caventibus auctoritate magistratus concessa. *Lüid.*
Menck. ad ff. tit. de hered. petit.

§. IV

§. IV.

De bonis in genere multa proferre opus non est, cum unicuique illorum diversitas ex *tit. 1. §. 2. J. de rer. divois. §. reb. corp. §. incorp.* satis nota sit, illam tamen divisionem, qua bona dividuntur in allodialia & feudalia tacitus hoc loco nullo modo prætermittere possum, quo appareat, quis in his & quis in illis absenti Curator constituendus, sicuti verò bona allodialia hæc sunt, in quibus quis plenum habet dominium, atque in illis vel secundum validam testatoris dispositionem vel ea deficiente ad ductum legum secundum gradus prioritatem absque ulla distinctione sexus succeditur. *Struv. §. J.F. cap. 2. aph. II. pag. 77. §. cap. IX. n. 4. pag. 295.* ita è contrario bona feudalia hæc esse dicuntur, in quibus vasallo concessum est dominium utile sub lege fidelitatis, illorumque successio secundum ordinariam feudorum naturam peragenda. *Stryk. Exam. juris feud. cap. 2. §. 11. §. Cap. XV.*

Propenitur di-
stinctio bono-
rum allodia-
lium & feuda-
lum.

§. V.

His itaque præmissis considerandæ veniunt ipsæ personæ, ad Curatelam seu administrationem bonorum absentis admittendæ, circa quas firma tenenda est regula: quicumque proximus in succedendo, ille etiam proximus est in cura. *Carpz. L. 5. tit. 8. resp. 83. n. 1. L. 6. tit. 7. Resp. 63. n. 4.* Ex ratione, quod hæc administratio & proximis successoribus concessa bonorum custodia nihil aliud est, quam præmatura intestati, licita tamen quasi successio *Anton. Fab. in C. libr. 5. tit. 40. d. 1. num. 3. §. 4. Stryk in success. ab intest. diff. 8.*

Recensentur
personæ ad
Curatelam ab-
sentis admit-
tendæ.

In allodialibus,

cap. 2. §. 18. Ex quibus pronò alveo fluit, quod observato ordine successionis ab intestato in bonis alodialibus non solum fœminæ cum masculis Carpz. p. 3. *Const. 15. d. 48. n. 8.* agnati cum cognatis modo in pari constituti sint gradu *Nov. 118. cap. 4.* sed etiam cum majorennibus pupilli admittantur. Brunnem. *ad ff. L. 42. tit. 7. ad L. 2. n. 19. Ant. Faber ad cod. Libr. 5. tit. 40. def. 1. n. 3.* Cum pupilli hanc curatellam per easdem personas, per quas propria ipsorum reguntur negotia, peragere possint, Carpz. *L. 5. tit. 8. Resp. 83. n. 12.* heredibus verò omnibus deficientibus ad Fiscum ob spem successionis devolvatur *L. 1. C. de bon. vac. Stryk. in success. ab intest. Diss. V. c. 1. §. 1.* Cum qui sperant successionem, iidem quoque bona absentis tueri debeant *Richt. p. 1. d. 5. num. 3.* & cuncti affines, quippe qui juris succedendi habentur incapaces penitus excludantur *arg. L. 7. C. comm. de success. Brunnem. Cent. I. Dec. 37.*

§. VI.

In feudalibus,

Circa bona feudalìa major in constituendo curatore absentis adhibenda est circumspectio; nam sicuti non omnes, licet sint proximi, in hæc bona succedunt, sed ad familiæ conservationem & servitiorum præstandorum habilitatem respicitur. Stryk. *Exam. jur. feud. cap. 15. pr.* Ita qui non est ex familia primi acquirentis, vel ad præstanda servitia habilis vel simultaneè investitus, etiam ad curatellam absentis ob deficiens jus succedendi admitti nequit, in tantum, ut quidem proximo agnato præstita sufficienti cautione administratio bonorum absentis.

con-

concedatur. Richter. *p. 1. dec. 6. n. 6.* & deficiente herede feudali ad dominum directum ob spem successione devolvatur. Vultej. *l. 1. c. 11 n. 6.* Mulieres vero & cognati & ad præstationem servitiorum inhabiles aliique excludantur. Nisi vel sit feudum fœmineum *l. feud. l. 3. g.* vel mere hereditarium Schrad. *de feud. p. 7. c. 3. n. 1.* vel francum, Struv. *S. J. F. cap 9. aph. 8. n. 2.* vel alia feudorum extraordinariorum natura personas alias inhabiles admittat.

§. VII.

Illud equidem dubio caret, quod si diversæ personæ, in pari tamen gradu constitutæ ab initio adsint, an omnes ad absentis curatelam volentes admittendæ, cum affirmative *Nov. 118. cap 5.* disponat, vid. Ant. Faber *in Cod L. 5. tit. 40. def. 1. n. 7.* attamen hoc controvertitur, an illi, qui ex post facto ad æqualitatem gradus pervenerint, sint admittendi? Carpz. *Libr. VI. Resp. 63. n. 10. & 11.* pro negativa annititur duoque assert præjudicia, Verum enim vero cum lex 8. & 9. ff. *de legit tutor. & curat. & citat. Nov. 118. cap. 5.* expresse disponat, quod, qui in pari gradu existunt, simul sint admittendi, Magistratusque auctoritas, in qua Carpzovius potissimum se fundat, tanta esse nequeat, ut alteri jus ex æqualitate gradus quæsitum auferre valeat. vid. Gail. *libr. 2. obs. 1. n. 3.* juri ejusque rationi convenientiorem quidem affirmativam putamus, sed in dicendis sententiis collegia juridica priorem opinionem sequi videmus, Richter. *p. 1. Dec. 6.*

Affertur quæstio, an illi, qui ex post facto ad æqualitatem gradus perveniant, etiam ad curam absentis sine admittendi.

Adducitur Carpzovii negantis opinio. Examinatur secundum leges.

Affirmativa ex jure deducitur

In praxi secundum negativam pronunciat.

§. VIII.

§. VIII.

Proponitur ea-
sus, an Ascen-
dentes de bo-
nis absentis te-
stamentum
condere pos-
sint?

Distinguitur
inter bona,
quæ ad legiti-
mam absentis
pertinent, &
quæ illam su-
perant.
In his pro af-
firmativa deci-
ditur.

In illis negati-
va defenditur.

Sed moritur Mevius, relictis duobus filiis & ex tertio filio nepote absente cum hujus matre, ante mortem vero condit testamentum, in quo quidem cum filiis nepotem absentem instituit heredem, sed simul disponit, ut reliqui heredes portionem absentis tam diu retineant, usque dum reversus fuerit. Quo facto mater absentis post Mevii discessum tanquam proxima in succedendo, præterdit administrationem bonorum absentis filii, heredes vero freti testamento condito illam denegant, quæritur: an testamentum valeat? Circa quam decisionem utique distinguendum esse putamus, inter bona, quæ legitimam absentis absolvunt; & inter reliqua, quæ legitimam excedunt, quod hæc attinet, mater omninò a limine judicii repellenda, ex ratione, quod mortuus de illis fecerit testamentum, atque custodienda filiis reliquerit, quæ ultima voluntas tanquam lex observanda. *Nov. 22. cap. 2. Stryk. in success. ab int. diff. 1. cap. 1. §. 31.* Quod illa concernit, testamentum non esse validum, neque per hoc matri administrationem legitimæ adimendam esse, arbitramur, siquidem de legitima tanquam debito legis avus non potuit testari, ergo etiam illud gravamen, quod reliqui heredes usque ad reditum absentis ejus portionem retineant, in præjudicium proximi successoris addere non potuit. *L. 32. C. de inoffic. test. Berger. P. 1. supplement. ad Elect. disc. for. cons. 43. p. 76.* inprimis cum mater, si absens filius intra annos humanæ vitæ præscriptos

scriptos non reversus fuerit, legitima sit heres, illaque bona proprio jure capiat. *L. 5. ff. de inoffic. testam. L. 7. §. fin. ff. unde liberi.*

§. IX.

Dictum est in definitione, quod Magistratus auctoritate suscipienda sit administratio, quis ergo sit iudex competens, brevibus discutiendum. Quæ quæstio cum distinctione decidenda; absens enim immediate subjectus est imperio aut mediate, si prius iudicium aulicum aut Camera constituit Curatorem *Gail. l. obs. 1. n. 47. Stryk. in exam. jur. feud. cap. 7. §. 22.* sin posteriùs, bona absentis sunt vel feudalia, vel allodialia, quando feudalia, Dominus feudi immediatus adeundus, Rosenthal *de feud. cap. 12. concl. 10. n. 49.* Cum Jurisdictioni Judicis ordinarii feuda non subjaceant Schrader. *P. 10. Sect. 19. n. 83.* quando allodialia, Iudex quilibet competens potest Curatorem constituere, in tantum, ut si absens ratione bonorum sit Schriftfasser, (i.e.) qui immediate coram cancellaria, aut, quæ cum eadem concurrentem habet jurisdictionem, conveniri debet. Berger. *Elect. discept. for. tit. 40. obs. 7.* Iudex superior ordinet Curatorem, sin minus, Iudex quilibet inferior, modo jurisdictionem dandi confirmandique Curatorem habeat. Vid. Rec. Imp. *de anno 1577. t. 32.* Schilter. *ad ff. Exerc. 37. §. 6.* Cum hodie non amplius patrimonii quantitas, sed iudicis competentia attendatur. Stryk. *ad §. 5. J. de Attil. tut.* licet non dissimulandum, quod in ultimo casu,

B

si res

si res maximi præjudicii sit expedienda, auctoritas Magistratus superioris, quippe qui consensum absentis supplere dicitur, requiratur. Cum quo etiam jus provinciale Magdeburgicum conspirare videmus, ubi *in ordin. process. recogn. cap. 11. §. 3.* sequentia legitur: Es mögen aber die Curatores absentium in denen Fällen / welche speciale mandatum erfordern / nichts Beständiges handeln / bevorab sie von unsern Cansler und Rätthen / welche absentis consensum durch ihre Auctorität ersetzen / hierzu specialiter prævia causæ cognitione befehliget.

§. X.

Examinatur
Curatoris
Officium,
quod consistit
In reddendis
rationibus.
Conficiendo
inventario.

Facta legitima constitutione, Curator suscipit officium, quod in administratione bonorum consistit; quare obligatur non solum ad reddendas rationes. Carpzov. *P. 3. C. 15. def. 55. L. 2. ff. de neg. gest.* sed etiam ad confectionem inventarii, cum rationes absque hoc non possint reddi, ntpote quod caput fundamentum & necessarium antecedens illarum dicitur, Berlich. *P. I. concl. 12. n. 21.* inventario vero omissio ad editionem juratæ specificationis. Carpz. *p. 2. concl. 11. d. 6.* nisi malit, ut ille, qui hactenus fuit absens, admittatur ad juramentum in litrem, *L. 1. 2. §. 7. ff. de jurej. in litem*, vid. Gail. *de Pign. obs. 18. n. 1.* & tandem ad præstationem doli, latæ & levis culpæ arg. *L. 7. C. de arbit. tut. l. 1. ff. de tut. §. rat. distr. Brunnem. ad Codic. ad L. 7. C. de arbit. tut.* Cum damnnum levi culpa datum refarciri favor absentium postu-

Aur hoc deficiente edenda jurata specificatione.

Præstando dolo lata & levi culpa.

postulet, ne segnius illorum, quam propria curentur negotia, maxima vero diligentia in officio, ex quo nihil capiunt emolumentum, exigenda non est, ne curatores nimis onerentur. Struv. *S. J. C. Exerc. 31. th. 38.* Nisi absentis negotium fuit difficile, in quo latam culpam tantummodo præstari sufficit, arg. *L. 7. §. 2. ff. de adm. & pericul. tut. & Cur.*

§. XI.

Verum enim vero obstare videtur *S. 1. J. de obl. qua quasi ex contract.* Ubi ad præstationem culpæ levissimæ & *L. 11. ff. de neg. gest.* vi cujus ad casum præstandum, ille qui absentis negotia expedienda suscipit, adstringitur; attamen cum in utroque textu de extraneo, qui sua sponte absentis negotia absque cautione curanda suscipit, agatur, circa quem omninò hæc dispositio juris locum habere potest, siquidem culpa est, se immiscere rei alienæ ad se non pertinenti *L. 24. C. de us.* In præsentem verò casum Curator proximus est successor, & jussu & auctoritate Magistratus curam subit, ergo majore onere, quam alius Curator non est gravandus.

Afferuntur nonnulli textus contrarii.

Illis respondetur.

§. XII.

Progrediendum nunc est ad materiam cautionis in administratione bonorum absentis necessario præstandæ. Cujus equidem in jure recensentur variæ species, potissimum verò in nude promissoriam, fidejussoriam, pignoratitiam & juratoriam abit. *L. 1. ff.*

Pervestigatur materia cautionis.

B 2

qui

Admittitur nu-
de promissoria
observatis cer-
tis requisitis.

qui sat. cog. L. 79. ff. mandat. L. 3. C. de V. & R. S. Avthent. Generaliter 6. de Episc. & Cler. Hinc ut appareat, quæ idonea sit cautio, omnes recensitas species levi, ut dicitur, brachio tangemus. Quod cautionem nude promissoriam concernit, & tantummodo locum habet in possessionato L. 15. ff. qui satis. cog. Nullum est dubium, quin si curator absentis fidelem administrationem ad manum Judicis sub hypotheca bonorum propriorum promittat, & hic actus ad acta referatur, hæc sufficiat. Brunnem. in Process. Civil. cap. 8 §. 9. modo attendatur, ut sint bona allodialia non feudalia, nisi Domini directi, agnatorum & simultaneè investitorum consensus concurrat. Struv. S. I. F. cap. 13. aph. 7. seqv. it. cap. 15. n. 6. aut feudum sit mere hereditarium. Id. cit. cap. 1. aph. 13. & 20. quod ultimum tamen jure Saxonico aliter obtinere dicit. Carpzov. p. 2. C. 46. d. 3. n. 6. ita ut agnati vi simultaneæ investituræ succedentes illud debitum, quod absque illorum consensu in hoc feudo esset constitutum, solvere non teneantur, deinde ut bona, quibus præstanda est cautio, in illo loco, ubi administratio suscipienda, sint sita. Carpz. libr. 6. tit. 7. Resp. 63. n. 9. Richter. p. 1. dec. 65. n. 20. & tandem ut sint bona certa non litigiosa, Myns. Cent. 1. obs. 55. n. 1. & propria, neque ære alieno obruta, cum bona nostra non intelligantur, nisi deducto ære alieno l. obfignatum. §. bona 39. ff. de V. S.

S. XIII.

Licet vero multi adhuc dentur casus, ubi quis à præstatione cautionis liberatur, sic ab hâc immunis est possessor annuorum reddituum. Gail. 2. *obs. 10 n. 6.* Possessor actionis realis ad rem immobilem, Berlich. *p. 1. concl. 20 n. 45.* possessor rerum pretiosarum, Carpz. *P. 1. const. V. d. 16.* Usufructuarius Nicolai *P. 1. cap. 36. n. 9.* Creditor pecuniæ hereditariæ, cuius dies nondum cessit, Gail. *l. 2. obs. 11. n. 10.* Carpz. *p. 1. const. 5. def. 18. n. 1.* & quam plures alii, qui certis numeris inclusi videri possunt, apud Nicol. *p. 1. cap. 36.* Attamen verò omnes illos à præstatione cautionis in administratione bonorum absentis immunes haud esse asserere non dubitamus, partim quia *l. 3. C. de posth. rev.* idoneam cautionem requirit, quæ idoneitas non aliter nisi per fidejussores aut pignora obtineri potest, *L. si mandatu 59. § ult. ff. mandat.* Gail. *1. obs. 26. n. 6.* partim quia administratio bonorum absentis ad longum tempus in dubio se extendit, neque prius finiat, quam absens vel reversus fuerit, vel præsumptivè sit mortuus; è contrario verò annui redditus, ususfructus, res pretiosæ, tabernæ instructæ, actio ad rem immobilem, aut alia jura vel qlane non sufficiunt, vel tempore fi-

Recensentur
plures casus,
ubi quis alias
à cautionis
præstatione est
immunis, nec
tamen in præ-
senti materia
ab illa libera-
tur.

niuntur, vel illorum natura ita est compara-
ta, ut clam alienari & distrahi possint, quo
casu cum vitiosa fuisset cautio, in effectu idem
esset, ac si cautum non fuisset. *L. 6. ff. qui satis
cog.* quamvis non abnuendum, quod multum
tribuendum sit arbitrio iudicis, an annui redi-
tus irredimibiles (gewisse unablegliche Ren-
then) loco cautionis in præsentia materia sint
admittendi. Vid Brunnem. *ad L. 15. qui sa-
tis d. cog.*

§. XIV.

Pro sufficienti
cautione ha-
betur fidejus-
soria.
Quid circa il-
lam attenden-
dum.

Perspectis iis quæ circa cautionem nu-
de promissoriam erant observanda, veniamus
ad secundam speciem, nimirum cautionem fi-
dejussoriam, in qua nihil aliud attendendum,
quam ut fidejussores non ad certam summam,
sed generaliter ad totam administrationis cau-
sam constituentur, *L. quær. 54. ff. locati.* Dein-
de ut fidejussor sit idoneus, quod colligi de-
bet, & ex facultatum qualitate, & convenien-
di facilitate, *L. 2. pr. ff. qui satis d. cog.* & ex ju-
ris competentis renunciatione. Berger. *Elc. &
disc. for. tit. 13. obs. 2. n. 4.* Ad facultatum qua-
litatem pertinet, ut possideat bona propria
& ita comparata, uti in spho præcedente mo-
nuimus, ad conveniendi facilitatem spectat,
ut requiratur ejusmodi persona, quæ absente

non

non est potentior, neque alienæ jurisdictioni subiecta, arg. *L. 1. § 3. ff. de alien. iudicio mul. causa*, aut si alius fidejussor aliaque cautio haberi nequit, ille compellendus, ut privilegio fori valide renunciaret. *L. 7. ff. qui satisd. cogn.* Mev *p. 8. dec. 182. n. 7. seqv.* Ad renunciationem juris competentis refertur, ut si solus est, renunciaret beneficio ordinis seu excussionis, si verò cum aliis fidejussoribus concurrat, beneficio divisionis & cedendarum actionum. Stryk. *in caut. Contract. Sect. II. cap. 6. §. 21.* Ita ut renunciatio fieri debeat specialiter, quia generalis habetur invalida. Berlich. *p. 2. concl. 22. n. 2. seqv.* Stryk. *cit. loco §. 20.*

§. XV.

Succedit jam cautio pignoratitia, in qua considerandum, ut pignora sint propria & sufficientia. Propria debent esse, ne Dominus offerendo pretium ea vindicet Berlich. *P. 2. concl. 3. n. 39.* cum per alium rem alienam invito Domino pignori obligari non posse, manifestum sit. *L. 6. C. si al. res pign. datur. L. 2. ff. de pignorat. act.* Sufficientia sint, necesse est, ut absens, si Curator in administrandis bonis male versatus est, resarcitionem damni petere possit. Carpz. *L. 2. tit. 7. Resp. 80. n. 3.*

Admittitur quoq; cautio pignoratitia. Quid circa hanc observandum.

§. XVI.

Rejicitur cautio juratoria.

Agmen claudit Cautio juratoria, de qua licet Doctores statuant, quod deficiente alia cautionis specie admittenda. Vid. *Arch. Generaliter C. de Epif. & Cl. Brunnem. in process. C. cap. 8. n. 2.* *Svwendendörffer. ad Pr. Fibig. cap. 11. p. 486* & hoc specialiter ad præsentem administrationis materiam extendant. *Finckelthaus obs. 100. n. 32. seqv.* veruntamen cum absens per hanc cautionem non securus reddatur, atque leges tutorem, qui idoneè satisfacere non valet, ab administratione repellant. *L. 1. & 2. C. de tut. & Curat. qui sat. non ded. & tandem. quoties jura cautionem necessariam requirunt, uti fit in L. 3. C. de posth. revers. cautio juratoria non admittatur, etiamsi evidens sit impotentia cavendi. Gail 2. obs. 47. n. 6.* Melius securitati absentis consulit Judex, si cum Mevio *P. II. Dec. 61.* cautionem juratoriam penitus rejiciat. Conf. *Ant. Faber in Cod. libr. 5. tit. 4. def. 10.* Cum quo etiam consentit Jus Provinciale Magdeburgicum, quando in *Ordinat. Process. cap. 10. §. 2.* in verbis: **Es sollen auch die Curatores absentium, ob sie gleich die nächsten Anverwandten wären / mit zureichenden unbeweglichen Güthern angefaßten seyn / oder durch satzsame angefaßene Bürgen zuläng-**

zulängliche Caution leisten. Nullam aliam cautionem, quam quæ vel in propriis iisque sufficientibus bonis consistit, vel per fidejussores idoneos præstatur, admittit.

§. XVII.

Ne verò præstita cautio in infinitum pendeat, brevibus jam exponendum, quot modis expiret, quod duobus contingit: nam absens aut redit, aut ipsius mors probatur. Quam diu præstita cautio pendeat, discutitur. Exspirat aut post absentis reditum aut legitimam mortis probationem.
 Carpz. *P. 3. const. 17. def. 51. & 52.* Si prius nullum est dubium, quin cura expiret arg. §. legitimam mortis probationem.
J. qv. mod. tut. fin. cum quæ ad certum tempus concessa, lapsò tempore censeantur revocata, *Cap. 4. de offic. & potest. jud. del. fin.* posterius, gravissimum onus est suscipiendum, siquidem teste Stryk. *in succ. ab intest. Dissert. 10. cap. 6. n. 4.* longe difficilior est probatio mortis, cujus unus locus, & unum instans, quam vitæ cujus plures loci & plura tempora, conf. *Carpz. part. 3. const. 17. def. 10 n. 1. seqv.*

§. XIX.

Suscipienda itaque est probatio mortis vel per testes vel per præsumptiones; quot verò testes requirantur, de hoc interpretes juris, inter se non conveniunt, quoniam nonnulli Modi probande mortis subministrantur.

C
uni-

unicum testem de visu deponentem admittendum esse statuunt. *Cap. 19. X de spons. Mascard. de probation. Concl. 1076. n. 5. Carpz. p. 3 C. 17. d. 15. n. 6.* Alii verò attestato Præfecti militum, licet injurato standum esse putant, Schilter. *exercit. 16. th. 78.* Alii verò soli famæ credendum esse existimant. Vid. Stryk. *in succes. ab int. dis. X. cap. 6. § 6.* Attamen cum citatum Capitulum 19. de alia plane re agat, illiusque verba ambigua videantur, è contrario jura in decisionibus ad minimum duos testes requirant. *L. 12. ff. de test. Gail. 2. obs. 93. n. 16. & Nov. 117. cap. 11.* disponat, ut præpositis sanctis Evangeliiis sub gestis monumentorum deponatur, non tuto præcedentibus opinionibus inhærendum; quamvis non dissimulandum, quod arbitrio Judicis: an nimirum mors in occulto loco contigerit, vel an quæstio maximi præjudicii volvatur, nec ne, multum tribuendum, Richter. *P. 1. dec. 66. n. 8.* in tantum, ut pro re nata illi, qui alterum mortuum esse contendit, neque aliam probationem, quam per unicum testem afferre valeat juramentum suppletorium deferre possit, modo testis ita, ut in *L. 2. & 3. ff. de testib.* monitum, affectus & aliæ præsumptiones aut fama concurrat. *Menoeh. Præf. 49. l. 6. n. 21.*

Recensentur
diversa Do-
ctorum opi-
niones.

Multum tri-
buitur arbi-
trio Judicis.

§. XIX.

Validissimam verò mortis probationem validissima
 eam dicimus esse, quæ fit per duos testes, mortis proba-
L. 12. ff. de testibus. Mascard. *de prob. concl.* 1076. tio habetur,
 n. 2. modo non sint testes de auditu, quippe quæ fit per
 qui nihil probant, *cap. Licet 7. de test. C. testes* duos testes.
C. 3. qu. 9. sed testes oculati, cum probatio ad Et quidem o-
 oculum aut per visum omnem aliam probatio- cularos.
 nem vincat Stryk. *de jur. sens. diss. I. cap. 4. n. 5.*
 adeò ut unius testis testimonium in quæstione
 maximi præjudicii etiamsi præclaro Curiaë ho-
 nore præfulgeat, nullius sit momenti. Vid.
 Stryk. *in succ. ab intestat. Diss. X. cap. 6. §. 5.* quæ
 in præsentī de probatione per testes, quia
 materia apud Doctores ubivis est obvia, dixisse
 sufficiat.

§. XX.

Quod probationem mortis per præsum- Discutitur
 ptionem concernit, statuunt uno ore interpre- probatio mor-
 tes, quod nimirum & hæc admittenda, siqui- tis per præ-
 dem præsumptioni tam diu standum, donec sumptionem.
 probetur contrarium. *L. 24. ff. de pr. & præf.*
Myns. Cent. 5. obs. 68. Gail. 2. obs. 128. n. 12. modo
 non fit levis præsumptio. Berlich. *P. I. C. 36 n.*
15. sed verisimilis, quippe quæ pro proba-
 C 2 tione

Absens se-
ptuaginta an-
nis major ha-
betur pro
mortuo.

tione vera habetur. Carpz. *L. 6. tit. 2. R. 10. n. 18.*
& in hunc modum mors in absente septuagin-
ta annis majore, qui post diligentem inquisi-
tionem inveniri non potuit, non solum se-
cundum mores hodiernos præsumitur, Carpz.
P. 3. C. 15. d. 57. Richter. *P. 1. dec. 66. n. 5.* Masc.
de prob. concl. 1078. n. 3. quod terminus vitæ hu-
manæ raro ultra hoc spatium se extendit,
Psaln. 90. v. 10. sed etiam hæc præsumptio ef-
ficat, ut præterlapso hoc tempore bona absen-
tis proximis hujus successoribus absque cau-
tione tradantur & hi inter se dividere valeant.
Laud. Carpz. *de const. 15. d. 57. n. 12.* quamvis Dn.
Richter *P. 1. dec. 66. n. 6.* referat, quod in Regno
Bohemiæ Edicto Imperatorio cautum sit, absen-
tem, per triginta annos, annum & diem pro
mortuo haberi, ejusque bona sine cautione pro-
ximis cognatis deferri.

Illiusque bo-
na proximis
successoribus
absque cau-
tione permit-
tuntur.

Aliter obtinet
in Regno Bo-
hemiæ.

§. XXI.

Occurritur
legi obstanti.

Sed his obstare videtur *L. 56. ff. de usufru-*
ctu, in qua vitæ humanæ terminus ad centum
annos extenditur; verum enim vero licet in
dictâ lege vitæ humanæ longæve terminus con-
stituaturs centum annorum; exinde tamen mi-
nime sequitur præsumi hominem centum an-
nos vivere, vid. Brunnem. *ad hanc leg.* cum
præ-

præsumptio facienda de eo, quod ut plurimum fit, Richter. *p. 1. d. 66. n. 20.* & sapientissimus Creator ipse *Psal. 90. v. 10.* vitæ humanæ terminum, annum septuagesimum præscribit. Hinc in foro & dicalteriis istam opinionem: quod post annum septuagesimum bona absentis proximis successuris absque cautione tradenda sint, receptam esse videmus. Vid. Berg. *p. 11. suppl. conf. 79.* Quamquam non negandum, quod si nihilominus contradicens existat, hic ad probationem vitæ sit admittendus. Gail. *2. obs. 71. n. 12.* Quoniam præsumptio cedit veritati, modo vitam, in qua se fundat, legitime probet Struv. *Jur. Rom. Ger. l. 1. tit. 29. §. 1.* efficacioresque præsumptione probationes proferat Myns. *Cent. 5. obs. 68. n. 2.* Brunnem. *ad ff. libr. 4. tit. 2. ad leg. 23. n. 2.* Berlich. *dec. 233. n. 15. §. 16.*

§. XXII.

Restat adhuc pauca adjicere de illa quæ-
 stione: an absentis in bonis Curatoris tacita hy-
 potheca competat? Notum equidem est, quod
 pupillis & minoribus Jus tacitæ hypothecæ
 in bonis non solum tutorum & Curatorum, L.
 20. C. de adm. tut. & Curat. sed etiam eorum, qui
 pro talibus se gesserunt concessum, L. 19 ff. de
 reb. auct. jud. pos. & quod absens minori æqui-
 pare-

Deciditur
 quæstio, an
 absentis com-
 petat jus taci-
 tæ hypothecæ,
 negativè?

paretur, at enim verò cum tacita hypotheca extra legem non sit fingenda, *arg. L. 6. §. fin. C. de bon. quæ lib. jur. L. 16. ff. de leg. Carpz. P. I. c. 28. d. n. 8. n. 4.* & nusquam in legibus invenimus, quod absenti jus tacitæ hypothecæ concessum, sed è contrario jura absenti ejusmodi privilegium denegent, *L. 22. ff. de reb. auct. jud. poss. Brunnem. ad ff. Libr. 42. tit. 5. ad leg. 19. n. 3. & tit. 7. ad L. 2. n. 24.* haud injuria concludimus, quod jus tacitæ hypothecæ in bonis Curatoris absentis exulet, *Berg. Elect. discept. for. tit. 45. obs. II pag. 1501.*

§. XXIII.

Hæc sunt, quæ loco Dissertationis Inauguralis de administratione bonorum absentis proferre volui, & licet non ignorem, quod multa adhuc restent, dicenda attamen, cum mihi non fuerit animus scribendi tractatum, & hæc materia passim apud Doctores occurrat, brevis esse, quam ab aliis dicta longa Dissertatione repetere malui. Quare finem impono, atque DEO immortali pro concessio circa hos labores auxilio humillimas grates persolvo.

S. D. G.



Dum Cathedram nostram scandis, mi Fautor
amande,
Ingenii dotes exprimis egregias.
Gratulor his cœptis, Dominus tua vota secundet,
Quo fructus Patriæ non sine laude feras!

Paucis hisce

Nobil. atque Clariss. Dn. Doctorando
gratulari voluit

R. H. Sieglcr / J. U. D.
P. P. & Coll. Sax. Decanus.

EN Tibi pro studio confertur laurea florens,
Quam tua promeruit cura laborque gravis
Suscipe propterea summum Doctoris honorem;
Flagrantis studii præmia digna tui.
Gratulor ex animo de digno nomine; posthæc
Toto ex corde Tibi prospera cuncta precor
Det DEUS, ut multos vivas feliciter annos,
Utilis ut multis sis patriæque tuæ!

Hisce Nobilissimo atque Doctis-
simo Dn. Doctorando con-
gratulari voluit

J. G. Ludolph,
J. U. Doctorand.

Ita Rosæ sVnt CaMpi DeCVs.

Nunc destituti purpureis rosis
Horti nigrescunt, sed Lachrymabiles
Ne præbeas vultus, decore
Atque rosis viduata Flora
Sic fata stabant. Nunc alium Themis
Campum rosarum detegit, integro
Examini scrutata cursu.
Ne dubites subiisse campum
Rosis fragrantem. Diceris *Israël*
Campus Rosarum, Primitias ferens
Scientiarum gratiores
Conarie; repetitus *Halam*
Posthæc, fragrantibus consimiles dabis
Scientiarum, quas quoque porrigis
Erbordia, qui disputando
Pro meritis es inaugurandus.
Campus superbit Puniceis rosis
Ut quem rosarum Purpura contegit
Et *Israël* jam gloriare
Purpureo bene dignus ostro.

Joannes Daniel Streit,
Jur. Cand.

EX terrâ, sed rore *Rosa* nascuntur Olympi,
Quas inter dumos carpere quemque ju-
yat.
Erfürthi *Rosa* TE surgit *dionissima*, DOCTE
ROSENFELDE, TIBI. Grata *rosea* vovet

Joh. El. Meier, J.S.

1731 (o) 1731

Cf. works, Diss., 1711/12

ULB Halle

3

004 171 527



ser







2. D. B. V. Pri. 35. num. 11.
1712, 8 23

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

**ADMINISTRATIO
BONORUM
ABSENTIS PROXIMI
SUCCESSURIS
COMPETENTE,**

P. 250

QUAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
RECTORE ERFORDIENSIS ACADEMIÆ
MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,**

SACRÆ CÆSARÆÆ ATQUE REGLE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORIEPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIÛQUE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE,

INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIUM

RITE CAPESSENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

DIE III. AUGUSTI MDCCLXII.

HORIS LOCOQUE CONSUETO

SUBMITTIT

ISRAEL ROSENFELD, CONARIENSIS.

ILLUSTRIS REGIMINIS IN DUCATU MAGDEBURGICO ADVOCATUS.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

21.

